LIBER
GALENI
DE
SYMPTOMATUM
CAUSIS
SECUNDUS:

In theses contractus, & publici ac solennis exercitij gratiâ in inclytâ Argentoratensium Academiâ ad disputandum propositus

à

MELCHIORE SEBIZIO, MEDICINAE DOCTORE AC PROFESSORE, & Reipubl. Archiatro:

Respondente

M. LUDOVICO KEPPLERO,
Pragensi Bohemo.

In Auditorio Magno, Mense Octobr. Horis matutinis.



ARGENTORATI,
Typis EBERHARDI WELPERI,
ANNO M DC. XXXI.

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10



ILLUSTRISSIMO AC GENE-
ROSO DOMINO,

DN. MAXIMILIANO

COMITI AB & IN TRAUTMANS-
DORFF, EPISCOPALIS TEINIZII
Domino, Sac: Cæſ: Majeſt: à Conſilijs
Secretiſſimis:

UT ET

Illuſtribus ac Generoſis Dominis,

Dn. HENRICO WILHELMO A STA-
RENBERG, Dn. in Riedegg/Wildperg &
Lobenſtein / Conſiliario Cæſareo,& p. t. Or-
dinum Superaniſanorum Directori:
Dn. JOH. PAULO GEYMANNO L. B.
in Galspach/Braittenegg/Wallern & Roſſ-
nitz:

Dominis Mecœnatibus & Evergetis
ſuis gratioſiſſimis

In grati animi σημεῖον ſuiq; & ſtudiorum
ſuorum ulteriorem commendationem

Exercitium hoc ſolenne inſcribit &
humiliter offert

M. Lud. Kepplerus Pragâ-Bohemus
Reſpondens.

I N

LIBRUM GALENI DE CAUSIS SYMPTOMATUM SECUNDUM

Præfatiuncula.



E L A M, quam Galenus *præcedenti libro primo de ſymptomatum cauſis, quæ in actionibus animalibus conſiſtunt, inceperat, texendo perſequitur, atq; ad finem perducit. Notum quippe, animales actiones eſſe triplices:* ſenſitivas, motivas, *&* principes. *Itaq; traditis ſymptomatum cauſis, quæ ſenſitivis accidunt functionibus, reliquum eſt, ut & cauſæ explicentur, quæ tùm in motricibus, tùm etiam in principibus obſervantur: id quod* Galenus *hoc in libro præſtare conatur.* Partes *ejus duæ ſunt.*

In primâ *cauſæ ſymptomatum actionis motricis declarantur, multáq; παρέργως, ϗ ὡς ἐν παρόδῳ, de vitioſorum motuum naturâ, & quomodo inter ſe conveniant, quomodoq; differant, interſeruntur:* Cap.1. *2.3.4.5.& 6.*

In ſecundâ *cauſæ ſymptomatum actionis principis, quæ in phantaſiam, ratiocinationem, & memoriam dividitur, breviter enarrantur:* Cap.7.

Poteſt autem pars prior iterum ſecari in membra tria.

In primo *duodecim ſymptomata, quæ ſub vitioſo motu, tanquam ſub communi aliquo genere, cōprehenduntur, recenſentur, & quomodo inter ſe conveniant, quomodoq; differant, docetur.* Cap.1.

In ſecundo *horum motuum natura & cauſæ explicantur.* Cap. *2. 3. 4.* & *5.*

In tertio *ea, quæ fuſiùs & uberiùs de vitioſorum motuum cauſis dicta erant, memoriæ gratiâ breviter & per capita repetuntur.* Cap. *6.*

THESIS I.

CAuſas ſymptomatum, quæ ſenſitivæ actionis noxæ ſunt, *Galenus* præcedenti libro explicuit. Hoc ſecundo declarat cauſas illorum, quæ motricis & principis actionis ſunt læſiones.

2. Vocantur autem motricis actionis læſiones motus vitioſi, quales ſunt 12. ſequentes. I. *σπασμὸς*, convulſio. II. *τρόμος*, tremor. III. *παλμὸς*, palpitatio. IV. *ῥίγος*, rigor. V. *φρίκη*, horror. VI. *λυγμὸς*, ſingultus. VII. *βήξ*, tuſſis. VIII. *ἐρύγη*, ructus. IX. *πταρμὸς*, ſternutatio. X. *σκορδινισμὸς*, pandiculatio. XI. *χάσμη*, oſcitatio. XII. *τρυσμὸς*, ſtridor. *Cap. 1.*

3. Hi motus in eo inter ſe conveniunt, quòd genus habeant commune: nimirùm *κίνησιν πλημμελῆ*, motum vitioſum, ſive illegitimum. Differunt autem, tùm modis alijs, tùm hoc uno primóque præcipuè: quod *quidam illorum* ſint *ἔργα φύσεως βιαίως ἀναγκαζομένης κινεῖσθαι πρός τινος αἰτίου νοσεροῦ*; opera naturæ, à causâ quapiam morboſâ violenter moveri coactæ: ut *ſternutatio, tuſsis, oſcitatio, pandiculatio, & ſingultus*: *Alij νοσώδεσιν ἕπωνται διαθέσεσιν, οὐδὲν εἰς τὴν γένεσιν αὐτῶν συμπραττούσης φύσεως*, morboſos ſequantur affectus, naturâ ad ipſorum generationem nihil conferente: ut *palpitatio & convulſio. Alij denique ὑπ' ἀμφοῖν ἐνεργούντων γίγνηται, τοῦ δὲ νοσήματος ἅμα καὶ φύσεως*, ab ambobus ſimul fiant, naturâ & morbo, cùm unà operantur: ut omnes motus *ναρκώδεις*, torpidi, alijque eorum, qui adhuc reſolvuntur, nondum autem paralytici facti ſunt, prætereà etiam tremor. *Cap. 1.*

4. In-

4. Intelligitur autem hîc per Naturam πᾶσα δύναμις ἡ διοικοῦσα τὸ ζῶον, omnis facultas, quæ animal gubernat: ſive à voluntatis noſtræ arbitrio pendeat, ſive non. Totum quippe facultatum animalium, vitalium, & naturalium genus, quo animal regitur ac ſervatur, diſtinguitur à cauſis præter naturam, quæ animal lædunt atque corrumpunt. Illæ enim animal ſervant ſanum: hæ verò id ipſum deſtruunt & labefactant. *Cap.1.*

5. Hæ tres differentiæ motuum, primæ ſunt, quarum cauſæ hoc in libro enarrandæ. * Sunt verò & propriæ cujuſque, de quibus ordine dicendum, facto initio ab ijs motibus, qui ὑπὸ τινὸς ἐμφύτου δυνάμεως, ab innatâ quadam facultate fiunt. *Cap.1.*

6. Vocatur innata facultas, à quâ reguntur ea omnia, quæ nutriuntur: éſtque quadruplex: I. ἑλκτικὴ τῶν χρηστῶν, attractrix utilium. II. καθεκτικὴ τῶν αὐτῶν, retentrix eorundẽ. III. ἀλλοιωτικὴ, alteratrix, ſive concoctrix. IV. ἀποκριτικὴ τῶν περιττῶν, expultrix ſuperfluorum. *Cap.1.*

7. Sunt verò motus, qui ab innatâ prodeunt facultate, duplices: alij ἀκριβῶς κατὰ φύσιν, exquiſitè ſecundum naturam; fiuntque, cùm animal naturæ legibus gubernatur, hoc eſt, nullo infeſtatur affectu præter naturam. Alij non exquiſitè ſecundum naturam: & accidunt, cùm quippiam præter naturam in corpore conſiſtit, quod naturam ad excernendum ſtimulat atque irritat. *Cap.1.*

8. Conveniunt inter ſe, quoniam ambo à naturâ, ſeu facultate inſitâ oriuntur. Differunt autem, quia poſteriores non ſimpliciter à naturâ, ſed à morboſâ causâ, naturam impellente, fiunt: priores verò à naturâ ſimpliciter manant, nullo, quod præter naturam ſit, hanc cogente. *Cap.1.*

9. Cæterùm, evenit, ut motus naturæ, ſive facultatis, interdum omninò ſint ἀναίσθητοι, ſenſûm; lateant: aliquando verò ſint αἰσθητοὶ, ſenſu percipiantur. Priorum exempla

 habe-

habemus in ἀδήλῳ διαπνοῇ, quando per eam ſupervacanea excernuntur. Poſteriorum in vomitu, alvi dejectione, mictione &c.

10. Cauſas igitur depravatorum motuum, quorum 12. præcipua genera fuerunt recenſita, expoſituri, à ſenſibilibus motibus, retentione ſcilicet & excretione, tùm urinæ, tùm fæcum, qui à naturâ vi quadam coactâ procedunt, ordiemur. Et quia cum motibus προαιρετικοῖς convenientiam quandam habent, quatenus utrique cum loci mutatione & per fibras fiunt, utroſque, tùm naturales, tùm animales, ſive voluntarios & προαιρετικοὺς, communi doctrinâ abſolvemus.

11. Voluntarij motûs noxæ, ſive ſymptomata, ſunt 4. παράλυσις, σπασμὸς, τρόμος ϗ νάρκη. Qui motus in particularibus inſtrumentis variant, non ſolùm τῇ τῶν συμπτωμάτων ἰδέᾳ, accidentium ſpecie: verùm etiam ταῖς προσηγορίαις, nomenclaturis. *Cap. 2.*

12. Manifeſtum hoc eſt primùm in παραλύσει. Hæc enim alia ſymptomatis ſpecies eſt, ſi inſtrumentis reſpiratorijs: alia, ſi vocalibus: alia denique, ſi locutionis organis accidat. Diverſas quoque in diverſis inſtrumentis nomenclaturas ſortitur. *Cap. 2.*

13. Etenim, παράλυσις inſtrumentorum reſpiratoriorum ἄπνοια: vocalium ἀφωνία appellatur. Linguæ verò παράλυσις proprio nomine caret: quamvis illa ἔργον οὐ σμικρὸν προαιρέσεως, haud exiguam & levem voluntatis actionem, ipſam ſcil. locutionem, auferat. *Cap. 2.*

14. Ἰσχουρία ſimile quid apnœæ & aphoniæ ſignificare videtur: etſi non προαιρετικῆς, ſed φυσικῆς ἐνεργείας abolitio ſit. Ut enim in apnoeâ reſpirationis, & in ἀφωνίᾳ vocis fit privatio: ſic in ἰσχουρίᾳ excretionis urinæ. Urinæ verò præter voluntatem excretio, voluntariæ actionis noxa eſt. Eadémque ratio eſt τῶν διαχωρημάτων, dejectionum alvi. Fæcum quip-

quippe retentio, *φυσικῆς*: excretio autem involuntaria, *προαιρετικῆς ἐνεργείας* vitium est. *Cap.2.*

15. Paralyseωs in modum etiam *σπασμὸς* suas habet species ac differentias. *Prima* est *τρισμὸς τῶν ὀδόντων ἀκούσιος*, invitus dentium stridor: qui convulsio est musculorum mandibulariorum. *Secunda*, *ἴλλωσις*, oculorum inversio, quæ alio nomine *στραβισμὸς*, oculorum distorsio, obliquúsque aspectus nuncupatur. *Tertia*, *γονόῤῥοια*, profluvium seminis, quod genitalium partium veluti convulsio quædam est: ideóque pene fit rigido. Quodsi penis non rigeat, convulsio non est: sed retentricis facultatis imbecillitas. *Quarta*, *λύγξ ἢ λυγμὸς*, singultus. Nam & iste à quibusdam pro convulsionis specie habetur. *Quinta*, *ἡ διπλῆ τῶν εἰσπνεόντων ἐπανάκλησις*, geminata inspirantium revocatio. Evenit enim quandoque ob musculorum inspirationi servientium convulsionem. Nam inter inspirandum interdum spiritus subsistit, adeò ut conduplicatus intrò, tanquã jam iteratâ inspiratione revocetur. *Sexta*, *ἐκπνοῆς εἶδος οἷον σπασμῶδες*, species quædam exspirationis quasi convulsoria: quæ & ipsa musculorum exspirationi dicatorum convulsionem sequitur. Eam *Hipp.* *πνεῦμα πταῖον ἐν τῇ ἔξω φορῇ* appellat, h. e. spirationem in eâ, quæ fit extrà, sive sursum, latione offendentem, sive subsistentem: cùm scil. spiritus in medio sui delatus, interrumpitur ac subsistit. *Septima*, est *ἐπιληψία*, quæ est convulsio totius corporis. *Cap.2.*

16. Speciebus *παραλύσεως* anteà commemoratis addi possunt *ἀποπληξία* *καὶ νάρκη*, sive stupor. Et apoplexia quidem totius corporis *παράλυσις* est. Stupor verò levis, exigua, & obscura *παράλυσις* est. Stupidarum rursùm partium haud parva est *ἐν τῷ μᾶλλον καὶ ἧττον* differentia. Aliæ namq; magis, aliæ minùs stupent: quoniam stupor *μικτόν πως ἐστὶ τὸ σύμπτωμα, νοσήματός τε καὶ δυνάμεως*, mixtum quodammodo accidens ex morbo & facultate. *Cap.2.*

17. Nam

17. Nam si morbus facultatem omninò vicerit, tùm hæc membrum ampliùs movere non poterit. Si facultas superaverit, in movendo membro minimè impedietur. Quodsi inter morbum & facultatem pugna sit, membrum quidem movebitur, sed *μόγις*, difficulter. Nam si præceperis, ut homo membrum extendat, extentúmque servet, præstare hoc minimè poterit. Facultas quidem membrum, quantum potest, attollet & sustinebit. Verùm, cùm debilis sit, & à causâ morbificâ suâ in actione impediatur, membrum ob nativam gravitatem decidet. *Cap. 2.*

18. De causis stuporis & resolutionis denuò dicere, nil attinet. Expositæ enim sunt *libro præcedenti c. 5.* ubi dictum, nervum, aut frigore densatum, aut à crassis lentísq; humoribus obstructum, aut à quapiam re gravi pressum, *παράλυσιν* & stuporem inducere. *Cap. 2.*

19. Sed ad *σπασμὸν* redeamus; & tùm quid sit, tùm quæ ejus causæ sint? enarremus.

20. Est autem ejusmodi malum, quod nervos ac musculos ad eum ducit affectum, ad quem animalis facultas in motibus voluntarijs eosdem ducebat. Nam quemadmodum motus voluntarius fit, retractis musculis ad suam originem: sic in *σπασμῷ* similiter nervi ac musculi versus suum principium trahuntur. Sive igitur motus voluntarius peragatur, musculis versus suum principium retractis, quemadmodum communis est Medicorum sententia: sive, ut Pnevmatici docebant, musculis ab aliquo irruente spiritu impletis: eodem certè modo *σπασμὸς* fiet: nempè vel flatulento aliquo spiritu in musculis genito: vel alijs affectibus, in quorum albo phlegmone est, tensionem in ijsdem efficientibus. *Cap. 2.*

21. Sunt verò affectuum genera, quæ *σπασμὸν* generant, secundum *Hippocratem* præcipuè duo: *πλήρωσις ϗ κένωσις*, repletio & inanitio. Sub *πληρώσει* comprehenduntur phlegmone,

mone, aliíq; tumores in musculis & nervis nati. Sub κενώσει ardentissimæ & siccissimæ febres, quæ corporis partes vacuant, & humiditates earum potenter absorbent. *Cap.2.*

22. Cæterùm, quòd corpora nervosa plurimùm impleta vacuatáque tendantur, chordæ musicorum organorum intentæ docent. Rumpuntur enim, sive in cubiculum aliquod humidum, sive in siccum intentæ reponantur. Quæ causa est, quòd eas artifices, priusquam reponant, laxent.

23. Hinc apparet, rectè dictum fuisse anteà, σπασμὸν à solo morbo fieri, perinde ut ἀκινησίαν, quietem, seu immobilitatem, quæ observatur in παραλύσει membrorum. Hæc enim & ipsa morbi occasione fieri solet. *Cap.2.*

24. Notandum autem, non omnem ἀκινησίαν à morbo fieri: quia varia est & multiplex. I. quæ cernitur in paralyticis. In his enim partes resolutæ à motu cessant, ac quiescunt. II. quæ videtur in hominibus sanis, & κατὰ φύσιν se habentibus, cùm scil. manum extendentes, extentam servant immotam. III. quæ similiter in sanis deprehenditur, quando manum super solidam aliquam rem reclinant, omnésque musculorum actiones relaxant. *Prima*, fit à solo morbo, non secus ac σπασμὸς. *Secunda*, à facultate animali, manum sustentante, perinde ut motus hominum sanorum. *Tertia*, neque à morbo, neque à facultate prodire videtur. Non ab illo: quia manus præsupponitur sana. Non ab hâc: quoniam quiescit. Sed ab innatâ gravitate, propter quam accidit, ut membrum solido in corpore, quod illi substratum est, quiescat. *Cap.2.*

25. Ex hisce quietis generibus secundum, quo manus extenta servatur immota, reverà ex albo actionum est atq; motionum, vocatúrque κίνησις τονικὴ. Potest tamen hic extentæ manûs status alio modo κίνησις: alio ἀκινησία appellari. Nam quatenus manus à facultate extenditur, κίνησις: quatenus autem ab eadem immobilis servatur, ἀκινησία di-

B citur.

citur. Quiescit enim manus, facultatis eam sustinentis opera. Reliquæ verò duæ quietes, quarum una fit in παραλύσει, altera dùm sana manus super solidum aliquod reclinatur, nullo modo ad motum aptari queunt: cùm sint omnimodæ quietes, omníque motu careant. Quemadmodum duo motus, convulsorius & voluntarius, nullo pacto ad immobilitatem referuntur: quòd in illis nulla prorsùs quies observetur. *Cap.2.*

26. *Hæc de primo depravatorum motuum genere*, Convulsione, sive σπασμῷ. *Nunc de altero*, quod τρόμος, *Tremor* appellatur. Cujus causæ priusquam explicentur, operę pretium est, ut qualis motus sit, & quomodo fiat? cognoscatur. *Cap.2.*

27. Est autem motus compositus, & ex duobus motibus contrarijs conflatus, perinde ut manûs extensio. Ut enim hæc ex duobus æquè valentibus motibus constat; uno, qui fit à facultate, manum sursum attollente; altero, à gravitate, manum trahente deorsum; sic quoque tremor ex duobus motibus vicissim sibi succedētibus perficitur; uno, quo membrum à facultate attollitur: altero, quo idem ob gravitatem fertur deorsum. *Cap.2.*

28. Etsi verò tremor & manûs extensio in eo conveniant, quòd ambo ex duobus motibus cōstent: tamen etiam differunt, quòd manu valente, adeóque extentâ persistente, facultas ne paululùm quidem à gravitate vincatur; sed cùm sit potentior ac validior inclinatione membri ad inferiora, tātum ipsum in sublime attollit sustinendo, quantū à gravitate deorsum trahitur. In tremore autem membrum deorsum labitur, facultate invitâ; ita ut pugna quædam inter facultatem & membri gravitatem existat. Nam facultas non permittit, ut membrum deorsum feratur, quemadmodum in παραλύσει; neq; gravitas membri concedit, ut facultas ipsum servet sublime, velut consueverat, dùm

benè

benè valeret. Itaque in tremore nunc vincit facultas, cùm membrum attollit: nunc vincitur, cùm à gravitate trahitur deorsum, mutuóque sibi motus contrarij, sursum & deorsum, succedunt. Compositus quippe motus est, ut pulsus arteriarū, qui ex διαστολῇ & συστολῇ cōstat. Discrimen autem est in eo, quoniam in pulsibus, (formicantibus tamē exceptis, qui sunt frequentissimi) est notabilis & sensu perceptibilis quies, quæ διαστολὴν à συστολῇ separat. In tremore quies vix percipitur: quoniam frequētissimus in eo est motus, ut præ nimiâ frequentiâ media quies internosci nequeat: non secus, ac in eo pulsu, qui formicans nominatur: cui prorsin rectè assimilari potest. *Cap.2.*

29. Porrò, quæri hîc posset, utrum ἡ ὁρμὴ à tremore separari possit, necne? Hoc est, an tremor sine voluntatis impetu fieri queat? an verò motus sit à προαιρέσει, arbitrio & consilio nostro dependens? Ad hanc quæstionem nonnulli respondebant, tremorem sine ὁρμῇ, sine προαιρέσει, sine voluntatis nostræ arbitrio fieri: hoc moti argumēto: quoniam videbant, caput interdum tremulo agitari motu, citra movendi voluntatem. Verùm *Galenus* eos erroris insimulat, quoniam ignorant, in servandâ aliquâ parte erectâ, tùm voluntatem agere, tùm à voluntate tendi musculos, qui sunt voluntarij motûs ὄργανα, non secùs ac in alijs motibus obeundis. Quare, licet caput citra voluntatem nostram tremat; tamen cùm in eo motu caput servetur erectum, certum est, voluntatem agere, ac tendere musculos, quorum tensione fit, ut caput non decidat, sed maneat erectum. Agit ergò in tremulis motibus voluntas & facultas: sed ob imbecillitatem partem immobilem servare nequit. *Cap.2.*

30. Quòd autem voluntas in tremoribus agat, & quòd ob imbecillitatem partem immotam servare non valeat, *Galenus 7.* τεκμηρίοις planum facit: 1. desumptum est *à capi-*

te tremulo. Hoc enim si super molle aliquod corpus recli-naveris, non ampliùs tremere id videbis. Quid ita? Quia corpus istud motũ capitis deorsùm, qui fit à gravitate ejus, impedit, & imbecillæ facultati succurrit: quæ adjuta caput tandem servat immobile. II. *à tremulâ manu*, dùm scilicet quis scribit, secat, aut aliud quippiam agit. Tremere enim cessat, si ab operibus istis desistat. III. *à cruribus inter ambulandum trementibus*: quæ non tremunt, cùm quis ambulare cessat. IV. *à validis robustisq; juvenibus*, qui sub maximo onere, humeris imposito, cruribus tremunt. Ubi enim progredi desierunt, aut onus abjecerunt, à tremore liberantur. V. *ab iis, qui per prærupta aliáq; loca ingredientes, præ timore cruribus tremunt.* Tremor enim vires deijcit. A tremore autem redduntur immunes, cùm itinere absoluto, timor excutitur. VI. *ab iis, qui ob conspectum feræ alicujus immanis, tremuli redduntur.* Tremere namque desinunt, timore exempto. VII. *ab illis, qui formidabilem Magistratum adeuntes* perculsi toto corpore tremunt, & loqui jussi tremulam vocem edunt. *Cap.2.*

31. Hæc τεκμήρια evidenter declarant, tremorem à voluntatis impetu, seu voluntariâ facultate fieri, quæ tamẽ ob imbecillitatem gravitati membri, deorsùm tendenti, resistere, & membrum perpetuò erectum servare nequit. Quare, inter facultatem & membri gravitatem assidua pugna est. Facultas quippe delapsum membrum iterum statim attollit: gravitas autem facit, ut rursùm decidat: quoniã facultas ob imbecillitatem suam gravitati illius sufficienter resistere non potest. Cùm verò depressum membrum eo in situ non semper permaneat, sed à facultate rursùs elevetur, necesse est, facultatem προαιρετικὴν tùm aliquid agere. Nisi enim ageret, perpetuò membrum depressum jaceret. Quòd autem facultas tùm agens debilis sit, inde patet, quia si membrum alicui solido corpori incumbat & inni-

innitatur, hácque ratione facultati quasi ferantur suppetiæ, aut membrum ipsum à suâ actione desistat, tremor statim cessat: quod sanè non eveniret, nisi utrisq; inter se pugnantibus tremor excitaretur.

32. Notandum autem hîc est, causam, cur alij alio pondere plus minusvé afficiantur, esse, quoniam grave & leve ex eorum albo sunt, quæ πρός τι dicuntur, & ad vires referuntur. Ideóque quod uni grave est, alteri leve videtur. *Notandum & istud:* maximum onus validam vincere facultatem. Invalidam verò non solùm à maximo: sed etiam à parvo prosterni. Quodsi eò debilitatis facultas pervenerit, ut jam concidere videatur, non impositas tantum sarcinas, quantumvis leves, videri graves: verùm etiam corpus proprium, ejúsque partes, hominem, cui sic debilitata facultas est, gravare. Atque hoc tremoris pathemate senes omnes, cùm vehementiores actiones exercent, tentantur. Ijs enim partibus, quibus operantur, promptè tremunt. *Cap. 2.*

33. Cæterùm, causæ tremoris variæ sunt. I. ψυχικὸν πάθος, *animi perturbatio*, ut *timor*. Nam motricem facultatem debilitat. II. νοσήματα τὴν δύναμιν βλάπτοντα, *morbi facultatem lædentes:* & cumprimis δυσκρασίαι. Id quòd sequentibus probari potest argumentis. Etenim senectus, quæ intemperies quædam est frigida & sicca, tremore promptè corripitur. Ex junioribus verò tremuli fiunt, qui vehementer sunt refrigerati: aut multo vino meraco se impleverunt: aut magnam crudorum humorum copiam cõgesserunt: aut longo tempore nimiã ciborum copiã assumserunt: nec ullo tamen exercitij genere usi sunt: sed vitam in otio & ignaviâ traduxerunt. Sunt & qui frigidâ intempestivè haustâ tremuli facti sunt. Hæc enim omnia frigidam intemperiem efficiunt: eámque vel in corpore toto & nervorum principio, cerebro scil. spinalíque medulla; vel in quibusdam

dam duntaxat partibus, quæ naturâ cæteris sunt infirmiores, adeóq; ad subeundam noxam magis opportunæ. III. *παχεῖς καὶ γλίσχροι χυμοὶ, crassi lentiq; humores*, vias, per quas motrix facultas ad corporis partes derivatur, ita obstruentes, ut affluat parcior. Hoc autem tùm præcipuè accidit, cum vias illas planè obstruunt, & aliquas nervorum partes resolvunt. Tùm siquidem reliquæ fibræ, quæ nondum resolutæ sunt, musculum validè intendere nequeunt. Ideóque membrum ob gravitatē decidit, oritúrq; inter hanc & facultatem pugna quædam, & cōsequenter tremulus motus. Quodsi tamen humores dicti, qui vias facultatis per nervos obstruunt, nondum omninò impacti sint, sed per facultatem violenter in has vias irruentem adhuc concuti & commoveri possint, tùm membrum perinde movetur, ac in *παραλύσει* incipiente. Nam per facultatis incursiones excutiuntur humores, qui nervos obstruunt, & membrum movetur. Rursùs autem humoribus, qui excussi sunt, in priorem locum confluentibus, delabitur, jacétque immotum: donec iterum facultas confertim irruens, humores, qui meatus, sive vias illius occupaverunt, dissipaverit. *Cap 2.*

34. *Tertium depravati motûs genus παλμὸς* est, *Palpitatio*: barbaris *jectigatio*: alijs *saltus*. Est autem palpitatio *διαστολὴ παρὰ φύσιν*, dilatatio præter naturam. Fit enim in omnibus corporis partibus, quæ dilatari possunt. Quæ dilatari nequeunt, ut ossa, & cartilagines, nunquam palpitant. Observatur sæpiùs in cute; aliquādo & in subjectis illi musculis. Non raro etiam in ventriculo, vesicâ, utero, intestinis, hepate, liene, diaphragmate: in summâ, in omnibus partibus, quæ dilatari possunt, deprehēditur; adeò quidem, ut etiam in corde & arterijs cernatur. Nam præter pulsum, qui cordi & arterijs secundum naturam inest, alius nonnunquam in illis depravatus motus videtur, cùm scil. p. n. dilatantur; & is motus *παλμὸς* appellatur. *Cap. 2.* 35. Ex

35. Ex quo liquet, palpitationem non esse proprium πάθος προαιρετικῆς δυνάμεως, neq; προαιρετικῶν ὀργάνων, ut tremorem & convulsionem: sed, ut jam dictum, πάθος commune omnibus illis partibus, quæ dilatari possunt; quales sunt, quæ molles existunt. Hæ enim dilatari & in altum attolli, rursúsq; considere queunt. *Cap.2.*

36. Causa παλμῦ investigatur ex ijs, quæ manifestissimè apparent: nimirùm ex palpitationibus palpebrarum, superciliorum, frontis & genarum. In illis enim cutis, & attolli, & dilatari conspicitur, & quidem ad eum modum, quo arterias dilatari cernimus. *Cap.2.*

37. Antequam verò ad explanationem causæ palpitationis accedamus, decidenda quæstio est, num arteriæ, & aliæ partes à se ipsis dilatentur, & dilatatæ id, quod eas implet, ad se convellant, quemadmodum folles fabrorum, quos constat, non ob id dilatari, quòd spiritu pleni sint: sed quia distenduntur, ideò impleri: an utrium ritu, quia plenæ sint, dilatentur? Videtur autem quæstio de dilatatione partium palpitantium genere similis esse quæstioni de arterijs. Utrobique enim quæritur, cur pulsent? Facilitate tamen inventionis ei, quæ de arterijs *inquirit*, dissimilis est. *Cap.2.*

38. Neque enim consentaneum est, partibus, quæ palpitant, perinde atq; arterijs, quæ semper, & secundum naturam pulsant, facultatem quandam insitam esse. Si enim illis insita esset, semper, velut arterijs, inesset, & maximè, cùm essent sanæ. Cùm verò neque semper, neq; cùm sanæ sunt, palpitatio ijs insit: perspicuum est, illas à se ipsis minimè dilatari. Si verò non à seipsis dilatantur, necesse est, ut dilatentur ab aliquâ substantiâ, quæ in ipsas influat. Hæc autem, vel humor est, vel vapor. At humorem non esse, celeritas generatiõis & solutionis τῦ παλμῦ monstrat. Nam & celeriter fit; & statim desinit. Nullus autem humor adeò celeri-

celeriter influere poteſt, multóq; minùs recedere, præſertim ijs in faciei partibus, ubi nudis propemodùm oſſibus cutis ſupertenditur. Itaque neceſſe eſt, efficientem palpitationis cauſam eſſe ſubſtantiam quandam aëream : non paucam tamen, neque tenuem. Talis enim facilè tranſit. Eſt igitur, & παχυμερὴς, partium craſſarum : & ἀτμώδης, vaporoſa : καὶ τὸ πλῆθος αὐτῆς ἀξιόλογον, quantitate effatu dignâ: nempè pro captu ſpatij, in quo continetur. Proinde dilatat, attollit, & inflat partem, cui eſt incluſa, quo ad tru...&, pulſa, in cognatum ſibi aërem exhalet. Id quod etiam in bullis fieri videmus, quæ in liquoribus, cùm coquuntur, oriuntur. Hæ enim etiam tantiſper durant, donec in cognatum ſibi aërem abeant. Differunt tamen in hoc à partibus palpitantibus, quòd hæ non rumpantur, ut bullæ, ſed integræ maneant. *Cap.2.*

39. Quodſi quæratur, quibuſnam partibus maximè accidere παλμοὶ ſoleant? Reſpondet *Galenus*, ijs, quæ quomodolibet ſunt refrigeratæ. Nam quod animali, cùm ſecundum naturam ſe haberet, & ſanum eſſet, à συμφύτῳ θερμῷ attenuatum & exactè elaboratum per ἄδηλον διαπνοὴν quotidiè è corpore defluebat: id ab eodē θερμῷ propter refrigerationem imbecilliore reddito, adeóque non ampliùs attenuare, & exquiſitè elaborare valente, ἀτμωδέστερον vaporoſius, καὶ παχυμερέστερον, & craſſius evadit. Quapropter, non ita facilè, ut anteà, tranſpirat: ſed ſub cute detinetur, & in tranſitu, ob conſtipationē à frigore factam, moratur, & nō egreditur. Hócq; accidit magis, ſi cutis ipſa fuerit denſior. Sic enim duplex remoræ cauſa concurrit : una, ἡ στενότης τῶν ὁδῶν, viarum, per quas vapor ille tranſire debet, anguſtia : altera, τὸ πάχος τῆς διαῤῥεούσης οὐσίας, craſſities fluentis ſubſtantiæ vaporoſæ. Itaq; concluſo intùs vapore craſſo, dilatatur & attollitur cutis : eodémq; modo etiam muſculi moventur, quando in ipſis hujuſmodi excrementum colli-

colligitur: adeò quidem, ut palpitantes totum quandoque membrum unà attollant. *Cap.2.*

40. Cæterùm, motus palpitationis, & à convulsione, & à tremore, & à rigore differt. *A convulsione*: quoniam hæc membrum omninò extendit, aut flectit. At in παλμῷ mēbrum ἀξιολόγως, notabiliter, neque flectitur, neq; extenditur: sed duntaxat concutitur, seu agitatur aliquo modo, donec musculus palpitare desinat: ad eum modū facto motu, quo in tremore: membro scil: dilatato, & in altum sublato, ac rursùm considente atque depresso. *Cap.2.*

41. *A tremore* dupliciter: I. quoniam παλμὸς per majora temporis intervalla fit: tremor per minora. Nam intervalla, quæ intercedunt inter duas palpitationes, longiora sunt: quæ inter duos tremulos motus, breviora. II. quia παλμὸς motus est præter naturam, & quidem totus, quantus. Excitatus enim est à causa præter naturam. Tremor mixtus est motus. Componitur quippe ex motibus duobus, ut suprà dictum: uno facultatis, qui est κατὰ φύσιν, mēbrúmque attollit: altero morbi, qui est παρὰ φύσιν, & membrum deprimit. *Convenit tamen* παλμὸς *cum tremore in eo*, quia æquè, ac tremor, attollendo & deprimēdo perficitur. Videmus enim palpitantem musculum, ubi justæ magnitudinis fuerit, totum subinde membrum inter dilatandum unà secum attollere: & contrà, cùm contrahitur, subsidetvé, perinde, ac si membrum esset ἄψυχον, sinere, ut membrum deorsum feratur. *Cap.2.*

42. *A rigore* itidem dupliciter distat: I. quia motus palpitationis paucus est, tardus, & rarus: rigoris contrà multus, celer, ac densus. Πολὺς, *multus* vocatur, propter motionum numerum. Una quippe alteram statim excipit. Ταχὺς, *celer*, ob motionum impetum citum. Brevi namque tempore motus finitur. Πυκνὸς, *densus*, seu *frequens*; quòd in eo breve sit quietis tempus. II. quia παλμὸς totus

C est

eſt παρὰ φύσιν: rigor nequaquam: ſed mixtus motus, ſicut & tremor. Nam in eo, & cauſa præter naturam, v.g. excrementum acre, ſentientes partes vellicans, & facultas expultrix movet. Hæc enim conatur expellere quod ſibi moleſtum & infeſtum ſentit. Plus tamen in rigore facultatis eſt, quàm in tremore. Imò, ſi verum dicere oportet, univerſus motus, qui in rigore obſervatur, inſitæ illius facultatis eſt, quam ἐκκριτικὴν καὶ ἀποκριτικὴν nominare ſolemus. Cauſa verò, quæ eam impellit, &, ut violenter moveat, urget, παρὰ φύσιν eſt. *Cap.2.*

43. Exiſtere autem reverà talem aliquam facultatem ἐκκριτικὴν, multarum partium exemplo, ac cumprimis Uteri, Ventriculi, Pectoris, Pulmonis & Cerebri demonſtrari poteſt.

44. Nemo enim eſt, qui ignoret, Uterum, ſimulac novem menſibus fœtûs gravitatem, & ſuam ipſius diſtentionem ſuſtinuit, hócq; toto tempore oſculum ita exquiſitè clauſum habuit, ut ne quidē ſpecilli mucronem admiſerit, abſoluto fœtu, cervicem adeò aperire, ut fœtus promptè atque expeditē egredi poſſit. Conſtat præterea, tunicas ejuſdem, quæ priùs erant diſtentæ, contrahi, fœtúmq; expellere. Dubium ergò nullum, quin in utero facultas ſit ἐκκριτικὴ, quæ abſolutis 9. menſibus fœtum extrudat. *Cap.3.*

45. Eadem hæc facultas, ubi fœtus corrumpitur, uteri cervicem haud ſecùs, ac partûs tempore recludit, conceptúmq; menſe tertio, quarto, aliove eijcit. Neque enim claudendi & aperiēdi uteri tempus ita præfinitum eſt, ut habeat certum aliquem temporis circuitum: ſed utrumque fit, prout usûs occaſio poſtulat. *Cap.3.*

46. Hanc ἐκκριτικὴν facultatem etiam Ventriculus palàm facit. Is enim poſt cibi ingeſtionem orificium inferius claudit, nihilque egredi ſinit, priuſquàm plenè ſit concoctum: dummodò nil ſit, quod πέψιν interrumpat. Eadem

enim

enim hîc ratio eſt, quæ in utero. Nam quemadmodum ἡ τῶν ἐμβρύων διαφθορὰ facit, ut uterus 9. menſibus clauſus non permaneat: ſed ſe aperiat citiùs, & fœtum ante tempus excutiat: ſic quoque ventriculus, ſi vel cibi in ipſo fuerint corrupti: vel vitioſi, cùm aſſumerentur, extiterint: vel modum in quantitate exceſſerint, præmaturè ſe pandit, & quod in ipſo innatat, per vomitum eijcit: quod verò ad inferiora repit, per pylorum expellit. Neque verò cibum tantùm, in qualitate, aut quantitate peccantem, vis ventriculi ἐκκριτικὴ eliminat: ſed etiam ad expulſionem inſurgit, ubi à bile, pituitâ pravâ, ſanie, aliové hujuſmodi humore fuerit infeſtatus. *Cap.3.*

47. Sed & Pectus ac Pulmo ſatis confirmant, eſſe in corpore facultatem expultricem, eámq; per tuſſim eijcere ea, quæ ſibi moleſta ſunt. Ut enim ventriculus per vomitum ea exturbat, quæ ſibi inimica ſunt: ſic thorax & pulmo per tuſſim noxia excernunt. *Cap.3.*

48. Eſſe verò hanc facultatem innatam, hinc conſtat: quia nullum animal, aut vomere, aut tuſſire didicit. Nam poſtquam in lucem editum eſt, & longo tempore inculpatâ ſanitate uſum, neque unquam, aut vomitum, aut tuſſim expertum; tamen ſi cauſa aliqua adſit, quæ vel orificio ventriculi, vel reſpirationis vijs moleſtiam pariat, protinùs certè animal, à nullo edoctum Magiſtro, vomit, & tuſſit. *Cap.3.*

49. Movetur autem ventriculus in vomitu perinde, ac uterus in partu. In tuſſi verò alia motûs ratio eſt. Nam, ut *l.3. de nat. fac.* docetur, uterus, cùm fœtum excludere ſatagit, internum orificium diducit; fundum verò, quàm poteſt proximè verſus os contrahit. Sic quando ventriculus noxia expellere ſtudet, ſimiliter orificium, aut ſiniſtrum, aut dextrum, aperit: proprium verò corpus validè conſtringit. In tuſſi verò motus longè aliter fieri ſolet. Pulmo enim ejuſmodi motu contractionis moveri nequit,

ut, quod alienum eſt, excernat. Aſpera ſiquidem arteria, per quam neceſſe eſt ea, quæ pulmonem infeſtant, expelli, cartilaginea eſt & dura: nec circa illa, quę continet, cōtrahi poteſt. Ideóq; ſagax natura aliud auxilium invenit: nempè σφοδράν τινα τȣ̃ πνεύματ☉ ἔξω φοράν, lationem quandā ſpiritûs vehementem ad exteriora, quam βῆχα, *Tuſſim* nuncupant. *Cap.3.*

50. Ejuſdem generis eſt etiam πταρμὸς, *ſternutatio*, quæ expellere ſolet ea, quæ in naribus continentur. Atqui & nares reſpirationis vias eſſe natura voluit. Spiritus quippe per nares vehementer ac violenter delatus, ea, quæ illic moleſta ſunt, extrudit, viáſque ſibi ipſi expurgat, perinde ut artifices, qui in tibias ac fiſtulas βιαίως κ̀ σφοδρῶς inſpirantes, eas à pulvere & ſordibus liberant. *Cap.3.*

51. Quæres, ſi motus prædicti, vomitus, tuſſis, & ſternutatio facultatis fiunt adminiculo, ac propterea ἔργα φύσεως, opera naturæ ſunt, cur ergò hîc ſymptomatibus, quæ παθήματα ſunt, & affectus præter naturam, adnumerentur? Reſpondet *Galenus*, ijs adnumerari διὰ τὰς ἀναγκαζȣ́σας ȣ̃τω κινεῖσθαι τὴν φύσιν αἰτίας, quòd cauſæ, quæ naturam, facultatemvé ad motus hoſce cogunt atq; impellunt, præter naturam ſint. *Cap.3.*

52. Cæterùm, motus expultricis facultatis in inteſtinis, utero & veſicâ ſimiles ſunt, ſive quid ſecundum naturam, ſive præter naturam expellatur. Neq; enim inteſtina, uterus & veſica alio motûs genere utuntur, cùm ſuperflua naturalia excernunt, quàm cùm quæ præter naturam ſunt propulſant. Ideóque fit, ut motus, qui ſymptomata ſunt, à motibus ſecundum naturam manifeſtè diſtincti non ſint. *Cap.3.*

53. At cum illa, quæ per τεινασμȣ̀ς, δυσεντερίας, λειεντερίας, ςραγγȣρίας, κ̀ εἰς ȣ̃ρα διάρροιαν, hoc eſt, diabeten, profligantur, manifeſtè ſint præter naturam, ideò meritò pro ſympto-

ptoma-

ptomatibus habentur, ex numero ſcil. eorum, quæ immodicè excernuntur. Pari ratione inter ſymptomata recenſeri debent ἡ ψοφώδης φῦσα, ſtrepens flatus, h. e. flatus, ſive ſpiritus per ſedē cum ſtrepitu ejectus: κ̀ ὁ τρυσμὸς, ſtridor, ſive dejectio, ſonum inter egerendum ſtridētem excitans: κ̀ ἡ ἐρυγὴ, ructus, κ̀ ὁ βορβορυγμὸς, murmurillum, h. e. ſpiritus intùs fluctuans, nec emiſſus, aliáque id genus, de quibus *libro ſequenti* dicetur. *Cap.* 3.

54. Verùm, in ventriculi excretionibus manifeſtius eſt id, quod per vomitū, quàm quod per inferiora expellitur. Nam per inferiora non ſolùm quæ p. n. verùm etiam ſecundum naturam ſunt, ventriculus expellit. Itáq; an ex ſymptomatum genere ſint? facilè ſciri nequit. Per vomitum autem non niſi ea, quæ præter naturam ſunt, ventriculus ejicit. Ideóq; multi vomitum non ἔργον φύσεως, ſed σύμπτωμα potiùs judicârunt: decepti in eo, quòd inter ἔργα φύσεως ſimpliciter dicta, & inter ἔργα φύσεως βιαίως ἀναγκαζομένης κινεῖσθαι πρός τινος αἰτίου νοσεροῦ, minimè diſtinxerint. Eſt enim σύμπτωμα quidem; ſed tamen etiam ἔργον φύσεως, ἢ δυνάμεως ἐκκριτικῆς: verùm à causâ aliquâ morboſâ ad movendum coactæ. *Cap.* 4.

55. Ad eundem modum, ſi tuſſim & ſternutationem inter ſe conferas, tuſſim manifeſtiùs apparet παρὰ φύσιν eſſe, quàm ſternutationem. Quod enim tuſſi expellitur, manifeſtius eſt, quàm quod per ſternutationem exploditur. Utcunque autem ex jam dictis motibus unus altero manifeſtiùs παρὰ φύσιν eſſe videatur, omnes tamen ex illo ſunt ſymptomatū genere, in quo cauſa aliqua præter naturam ad hujuſmodi actiones naturam ſtimulat atque irritat. *Cap.* 4.

56. Modus autem motionis in hiſce ſymptomatibus idem non eſt: neque ab unâ eadémque omninò facultate omnia proficiſcuntur. Id quod manifeſtum erit, ſi motus

uteri, intestinorum, ventriculi, vesicæ, pulmonum, thoracis & cerebri contemplemur. *Cap*.4.

57. Etenim, quæ ab utero, intestinis, ventriculo, ac vesicâ excernuntur, ea à partibus hisce circumdantur. Contrahunt enim sese partes istæ, seséque contrahendo, quicquid inimicum est, explodunt: haud secùs, ac manus, cùm aliquid exprimere conantur. Facultas verò, hunc motum efficiens, una est ex 4. naturalibus, & ἐκκριτικὴ, expultrix appellatur. *Cap*.4.

58. Alia species motûs, aliúdque principium movens est, cùm aliquid in asperâ arteriâ continetur. Hæc enim dura & cartilaginea cùm sit, contrahi non potest, ut ventriculus, vesica, uterus & intestina: ideóq; natura vehementem spiritûs ad exteriora lationem instituit, & tussim movet, ut excutiat, quod molestiam creat. Hæc autem fieri solet per eadem ὄργανα, per quæ magnæ simul & vehementes expirationes perficiuntur, quas ἐκφυσήσεις, exufflationes, vocãt: adeò ut tussis nil sit aliud, quàm σφοδροτάτη τις ἐκφύσησις, vehementissima exufflatio, quâ plurimus simul celerriméq; foràs latus spiritus suo impetu, quæ vias asperæ arteriæ obstruunt, extrudit. Quodsi primâ ejectione, quæ molestant, propellere nequit, bis térque in ea irruere minimè gravatur: magnáque ex parte finem consequitur, ubi spiritus vehementer movetur, & ea, quæ obstruunt, ad propellendũ apta sunt atq; idonea. Talia autem sunt, quæ neq; nimis tenuia sunt & aquosa: neq; crassa valdè atq; glutinosa. Illa enim ob tenuitatem à spiritu potiùs dissecãtur, quàm ultrà feruntur. Hæc verò arteriæ asperæ adeò inhærent tenaciter, ut difficulter ab eâ separentur. Itaq; ad glutinosos humores excernendos vehementissimis ac validissimis tussibus opus est, quæ violentiâ quadam quod affligit expellant. *Cap*.4.

59 *Sternutatio* humores, qui difficulter solvuntur, & aspera

ſperæ arteriæ firmiter adhærent, magis expedit, quàm tuſſis. Fit enim validiore ac vehementiore ſpiritûs impetu. Sed generationis ſuæ cauſam habet aliam: nimirùm eam, quæ naribus moleſtiam infert. *Tuſſis* enim ab illâ excitatur, quæ aſperam arteriam, pulmonem & thoracem infeſtat. Excernit tamen ſternutatio propter vehementiorem ſpiritûs erumpentis impetum non ſolùm ea, quæ in prioribus cerebri ventriculis continentur ſuperflua: verùm illa quoque, quæ aſperam arteriam vexant. Atq; hæc eſt cauſa, quòd *ſternutatio* capiti vaporibus oppleto maximũ adferat præſidium. Eos enim excutit, & caput ab obſtructione liberat, niſi à deſtillatione proveniat. Tùm quippe indicium potiùs eſt capitis ab humoribus oppleti: & quia caput frequenter ac vehementer concutit, illud potiùs lædit, quàm juvat. *Tuſſis* capiti nil confert. Nil enim inde vacuat: imò potiùs concutiendo offendit. Non mirum autem, ſpiritum per ſternutationes uno impetu, & ex pulmone, & ex capite emitti. Oſtenſum enim *libr. de muſcul.* cerebrum thoraci per nervos motum communicare; thoracem verò pulmonem dilatare & contrahere. Quapropter, cùm vis cerebri expultrix inſurgit, ut quæ naribus inimica ſunt, expellat, utráque expirationis viâ ſimul utitur: alterâ, quæ fit per nares, quam cerebrum per ſe ipſum molitur: alterâ per nervos, veluti per longas manus, ad thoracem uſq; pertingentes, quibus eam dilatat & contrahit. Per oſſa verò ἠθμοειδῆ, colatoria, vaporoſum ſpiritum emittit. *Cap.* 4.

60. *Hactenus de ſymptomatibus* προαιρετικῆς tantùm δυνάμεως, voluntariæ facultatis. *Vomitus* autem, qui illis eſt ἀνάλογ☉, naturalis facultatis ſymptoma eſt. Ut verò vomitum præcedit nauſea: ita tuſſim κέρχν☉, irritamentum ad tuſſiendum. Et quemadmodum nonnulli nauſeâ afficiuntur, nec tamen vomunt: ita quidam irritamentum ad tuſſiendum ſentiunt, nec tuſſiunt tamen: idque διὰ σμικρότη·

κρότητος τῆς αἰτίας. Sæpè enim ob levem & exiguam faucium asperitatem: interdum verò ob tenuem quendam, eúmq; paucum humorem, irritamentum ad tussiendum accidit: neque tamen tussis sequitur. *Cap.*4.

61. Est verò *tussis causa* in genere una; nempè quicquid spiritum intercipere potest: in specie autem varia & multiplex. I. *ὑγρὸν καταφερόμενον ἀπὸ τῆς κεφαλῆς*, humor à capite destillans: quemadmodum evenit in catarrhis. II. *ἀθροιζόμενόν τι κατὰ τὰς τραχείας ἀρτηρίας*, quiddam, quod in arteriâ asperâ collectum; veluti contingit in peripnevmoniâ, pleuritide, gibbarum hepatis partium inflammatione, faucium asperitate. III. *πινόντων ἢ ἐσθιόντων τι παρεμπίπτον*, cùm aliquid esculentorum, aut potulentorum in asperam delabitur arteriam. Hoc enim *ἀνάλογον* est *τοῖς ἀπὸ κεφαλῆς καταῤῥοις*, destillationibus à capite. IV. *δυσκρασία τῶν ὀργάνων τῆς ἀναπνοῆς*, intemperies instrumentorum, quæ respirationi inserviunt; eáque frigida. Ejusmodi tussis sicca est, in quâ nihil expuitur. Neque violenta est: sed exigua, ut vel omninò, vel magnâ ex parte, ne fiat, prohiberi queat. Tusses enim violentæ *κατάληψει πνεύματος*, spiritûs detentione, minimè vincuntur: sed majores sunt vehementioresque, quàm ut hac ratione supprimi possint. Supprimi autem possunt, & etiam sanari spiritûs cohibitione tusses ab intemperie frigidâ natæ, si nõn sint magnæ. Causa est: quia in spiritûs cohibitione musculos thoracis & abdominis contrahimus atque intendimus vehementer, adeò ut neq; inspiremus, neque expiremus. Impeditâ autem respiratione, calor in instrumentis respiratorijs augetur, spiritúsque sub thorace violẽter pressus in omnes angustos meatus penetrat. Itaque calefactis istis instrumentis, frigida intemperies corrigitur: omniáque ad æqualitatem prioris temperamenti redeunt. *Cap.*4.

62. Inæquales enim intemperies tusses movent. Causa

cogno-

cognoſcetur, ſi in memoriam nobis revocaverimus, duplicem eſſe intemperiem: unam, quæ à nudâ qualitate calidâ, frigidâ, humidâ, aut ſiccâ, eáque vel ſimplici, vel compoſitâ, proficiſcitur. Alteram, quæ fit cum affluxu alicujus humoris, qualitatibus iſtis præditi, qui inſtar roris per partes eſt diſperſus. Hinc enim perſpicitur, τὴν ὐσίαν τῆς δυσκρασίας, vel in nudâ qualitate, vel in qualitate cum affluxu humoris ſitam eſſe. Et utramque rurſus duplicem: unam ὁμαλὴν, æqualem, quæ æqualiter partes corporis occupat: alteram ἀνώμαλον, inæqualem, quæ non æqualiter partibus ineſt. *Cap.* 5.

63. Ὁμαλὴ δυσκρασία ſine dolore eſt. Teſtantur hoc febres hecticæ, & plurimi affectus frigidi, qui æqualiter partes occupant. Probat idem & ratio. Fit enim hujuſmodi intemperies cuilibet ſic affectæ parti, οἷον φύσις ἐπίκτητος; velut acquiſititia natura. At nullum corpus à natura ſuâ infeſtatur. Scribit namq; *Hippocrates*, dolores fieri, cùm natura corporum mutatur ac corrumpitur: non cùm jam mutata eſt atque corrupta. *Cap.* 5.

64. Ἀνώμαλος verò δυσκρασία dolorem infert, & quidem tantum, quanta ejus eſt magnitudo. Id quod in acutiſſimis & vehementiſſimis febribus experiri licet: in quibus ſolidæ animalis particulæ dolent, dùm à calore p. n. noſtram mutantur & alterantur. *Cap.* 5.

65. Ex his perſpicuum eſt, cur ἀνώμαλος δυσκρασία tuſſim excitet? Infert enim ſenſum moleſtiæ: eò quòd organorum reſpiratoriorum temperiem mutet, alteret atq; corrumpat. Natura ergò cupiens expellere id, quod hanc moleſtiam inducit, tuſſim movet.

66. *Hæc de cauſis tuſſis. Nunc de horroris & rigoris:* ſi priùs duæ moleſti ſenſûs ſpecies, horrorem & rigorem antecedentes, ἀνωμαλία ſcilicet ϗ κόπος, ſive *laſſitudo*, fuerint enarratæ.

67. Est autem ἀνωμαλία molestæ cujuspiam rei in nobis sensus, quo à nostrâ nos excidisse naturâ conjicere possumus. Tùm enim quippiam in corpore nostro sentimus, quod à naturâ nostrâ prorsùs est alienum, quod tamen satis explicare & verbis exprimere non valemus. Hanc verò ἀνωμαλίαν homines incipientibus jam morbis, priusquam v. g. febricitent, per totam corporis molem sentiunt. Neq; ullus adeò fortunatus fuit, qui non aliquando symptomate isto fuerit correptus. *Cap. 5.*

68. Cæterùm, ἀλλότριον id, quod per totam corporis molem dispersum sentitur, interdum videtur esse ὑποθερμόν τι, subcalidum: aliquando δακνῶδες ἄνευ τȣ̃ θερμαίνειν, mordax citra calorem: nonnunquam ἄμφω πεπονθὸς, utroq; modo affectum, calidum scil. & mordax: aliàs citra calorem & mordacitatē διατεῖνον ἁπάσας τὰς σάρκας, carnes omnes leviter distendit. In omnibus verò hisce symptomatibus, homines ἀνωμαλίαν quandam se sentire ajunt, & pandiculantur, omnésque partes naturali quodam instinctu facultatis expultricis, quæ ea, quæ corpori molesta sunt, expurgare conatur, quæque singulis ejus partibus, ut serventur, & in vita permaneant, à naturâ est concessa, distenduntur. *Cap. 5.*

69. Pandiculantur autem & distenduntur maximè à somno: quia tùm præcipuè halituosa excrementa in carnibus sentiunt. Hæc verò tùm sentiunt duplici de causa: I. propter nutrimenti concoctionē, quâ peractâ, excrementa ab utili humorum massâ separantur. II. propter horum motuum intermissionē. Animales quippe actiones somni tempore quiescunt. Expertecti ergò halituosorum excrementorum, sive flatulentorum spirituum copiam sentientes, eam à se pandiculatione excutere satagunt. Id quod etiam pueruli, qui adhùc in cunis jacent, à nullo edocti Magistro, faciunt. Ipsa namq; natura ad pandiculationis motum

tũ animalia impellit, cùm halitibus ac vaporibus διαπνοὴν, perſpiratum, molitur. *Cap.* 5.

70. Altera moleſti ſenſûs ſpecies eſt κοπώδης διάθεσις, *laſſitudo*: quæ duplex eſt: una αὐτόματ@, *ſpontanea*, quæ ſine corporis motu & exercitio accidit: altera *non ſpontanea*, quæ motum corporis ſequitur. *Cap.* 5.

71. Utraque rurſus triplex eſt: I. τονώδης, tenſiva: in quâ tota corporis moles tendi putatur: oritúrque à πληθώρα, quæ partes, quibus ineſt, ita diſtendit, ut eam ſine moleſtiâ ferre nequeant. II. ἑλκώδης, ulceroſa, in quâ corpus, cùm movetur, velut ulceribus conſperſum eſſe putatur. Provenit ab humore mordaci: ideóq; cùm exercemur, (per quietem enim talis humor minùs eſt moleſtus, quàm per motum: eo quòd hic illum agitet acriorémq; reddat) arbitramur, nos pungi, quaſi plures ſpinæ nobis eſſent infixæ. III. φλεγμονώδης, in quâ corpus conquaſſatum, & contuſum, & quaſi phlegmone obſeſſum eſſe putatur. Eâ laborantes, ſe ὀςοκόπῳ, oſſium laſſitudine, detineri ajunt: & ne minimum quidem motum ſuſtinent: ideóque nemo eorum pandiculari tentat: ut qui omnem motum reformident. Sentiunt tamen calorem manifeſtum, & τάσιν, tenſionem, & δῆξιν, mordicationem: ídque propterea, quoniam κακοχυμία in totam corporis molem liberaliter eſt effuſa. In reliquis verò duabus laſſitudinibus, ulceroſâ & tenſivâ, pandiculationis interdum motus obſervatur: cùm ſcilic. vel exiguæ fuerint: vel ex flatuoſis ac vaporoſis excrementis genitæ. *Cap.* 5.

72. Tribus laſſitudinum ſpeciebus propoſitis, ſciendum, laſſitudinem ulceroſam, ubi increverit, adeò, ut qui eâ laborant, nullum ſuſtineant motum, ſed velut ulceris dolorem ſentiant, in φρίκην, horrorem tranſire: eum nimirùm affectum, quo cutis inæqualiter movetur ac concutitur, reliquo corpore immoto. Horroris autem vitium, ubi mo-

 tus

tus accesserit, in ῥίγος. rigorem mutari: qui est inæqualis totius corporis concussio. *Cap.5.*

73. Conveniunt autem inter se ἀνωμαλία, κόπος ἑλκώδης, φρίκη καὶ ῥίγος, quòd ab unâ eadémq; causâ, nempe ab acribus & mordacibus humoribus proveniant. Differunt verò inter se quadrifariam. I. τῷ πλήθει τῶν περιττωμάτων, excrementorum multitudine. Multa enim paucis magis molestant. II. τῇ κινήσει, motu. Excrementa namque, quæ moventur, graviùs affligunt, quàm quæ quiescunt. III. τῷ τὰ μὲν μᾶλλον εἶναι δακνώδη, τὰ δὲ ἧττον, acrimonia & mordacitate: quia alia excrementa magis, alia minùs acria sunt & mordacia. Ex quibus illa magis, hæc minus mordent. IV. τῷ τὸ σῶμα τὸ κάμνον ἢ δυσπαθὲς, ἢ εὐπαθὲς, ἢ ἀσθενὲς, ἢ ἰσχυρὸν, ἢ εὐαίσθητον, ἢ δυσαίσθητον εἶναι φύσει, diversitate corporis laborantis, quod vel facilè, aut difficulter patitur: adhæc, vel validum est atque robustum, aut debile & infirmum: deniq; vel exquisito, aut hebetiori sensu præditum. Etenim corpus δυσπαθὲς, ἰσχυρὸν καὶ δυσαίσθητον, non nisi à vehementi infestatur causâ. Contrà εὐπαθὲς, ἀσθενὲς καὶ εὐαίσθητον à levissima infestari solet. *Cap.5.*

74. Pro harum igitur causarum varietate, varia symptomata generantur: in alijs scil. ἀνωμαλία: in alijs *horror*: in alijs *rigor*: in alijs *lassitudo ulcerosa*. Levior quippe affectus est, ἀνωμαλία: gravior, horror: gravissimus, rigor. Leviores ergò causæ, præsertim si quieverint, ἀνωμαλίαν producunt: graviores, si fuerint motæ, sed remissiùs, horrorem generant: gravissimæ, rigorem inducunt; præcipuè ubi celeriter vehementérque fuerint motæ. Motum enim plurimùm hic momenti habere, praxis & experientia monstrat. Praxis: quia Medici ijs, qui lassitudine ulcerosa laborant, præcipiunt, ut quiescant. Experientia: quoniam *Galenus* observavit, quosdam, qui crudorum humorum copiam collectam habuerant, ubi quievissent, nil perpessos esse: cùm

verò

verò balneum essent ingressi, vel in Sole stetissent, horruisse: ídque multò magis, si etiam se exercitassent. Acria enim mordaciáque excrementa tàm ab externis, quàm ab internis causis ad motum excitantur. *Externa* sunt, Sol, balneum, exercitatio, ira. *Interna* ea omnia, quæ excrementa hæc vel calefaciunt, vel attenuant, vel in flatus convertunt. Alterant enim. At alteratiò motûs est species. *Cap.* 5.

75. Esse autem causam motam molestiorem, magísque quiescente infestare, *Galenus* duobus modis probat. I. exemplo durorum corporum, quæ incidunt in oculos. Ijs enim super oculos delapsis, si palpebræ claudantur, & oculi quiescant; aut parùm, aut nihil doloris adferunt. Sin utraque pars crebrò moveatur, dolorem pariunt toleratu difficilem. II. Ex ipsâ rei naturâ. Nam dùm quiescit causa, consuetudine quâdam membro, in quo continetur, fit familiaris: ideóq; minùs afficit. Ubi verò movetur & agitatur, & in partes sensiles, quales oculi sunt, impetuosè fertur, illos dolore cruciat. Hinc est, quòd humores, qui per venas & arterias, partes insensilès, fluunt, nullum rigorem excitent: Ubi verò è venis ad sensiles corporis partes, carnem scil. totúmque corporis habitum, effusi sunt, pérque illas violenter aguntur, & ad cutem feruntur, in ipso transitu eas stimulent, pungant, dividant & vulnerent. *Cap.* 5.

76. Cæterùm, quòd omnis mordax & mota causa, sive calidissima, sive frigidissima fuerit, animali, & horrorem, & rigorem incutiat, multis probari potest indicijs. I. quia videmus, aquam ferventem sano corpori derepentè aspersam, aut scintillam ignis incussam, horrorem excitare. II. quia experimur, medicamentum καυςικὸν exulceratis partibus impositum, primùm quidem horrorem: deinde rigorem: & in quibusdam etiam, qui sunt calidiores, graciliores, & accuratiore sensu præditi, febrim parere. III. quia

constat, tertianas febres omnium maximè horridas esse; eò quòd & biliosissimæ sint, & calidissimæ. Quò autem sunt exquisitiores, eò etiam rigor in illis est vehementior. IV. quia *Hippocrates* docet *aphor. 58. s. 4.* καύσῳ laboranti rigorem supervenientem febrem solvere. Quid ita? Quia bilis, quę anteà in venis hinc inde errabat, à naturâ per carnes, partes valdè sensiles, ad cutem κριτικῶς propellitur: ita ut rigor iste simul symptomata sit & signum. Symptoma: quoniam bilis motum per loca sentientia sequitur. Signū: quòd istum bilis motum patefaciat. Nam qui hujusmodi rigore corripiuntur, sudant, vacuatáq; bile à febri liberantur. Quod si bilis non ad exteriora, ipsam scil. cutē, sed ad internas corporis partes feratur, tùm aut per vomitum, aut per alvum excernitur. Accidit autem sæpè, ut bilis, & intrò, & foràs, eâdem die moveatur: & per vomitum, sudorem, atque alvum expurgetur. *Cap. 5.*

77. Quidam, cùm viderent, corpus per rigorem vehementer frigere, credebant, illum salutare καύσȣ remediū esse. Τὰ γὰρ ἐναντία τῶν ἐναντίων εἶναι ἰάματα. Verùm, *Galenus* totâ illos viâ errare dicit. Nam si rigor, veluti remedium contrarium, καῦσον sanaret, certè, quacunque fieri posset ratione, rigorem in eo excitare liceret: nimirùm frigidâ aquâ, vel aspersâ, vel affusâ: aut ægro ipso in frigidum delato aërem: aut in frigidæ aquæ solium demisso. At quàmvis hac ratione rigor excitetur, καῦσος tamen minimè curatur. Deinde, si rigor καῦσον sanaret propterea, quòd corpus refrigeraret, utique homo post rigorem febricitare statim desineret. At hoc non fit. Ergò rigor ut contrarium non sanat καῦσον. *Minor probatur:* quia videmus, hominem, rigore finito, multò vehementiùs, quàm anteà, febricitare. Ratio est: quoniam à rigore major excitatur calor: ídque propter vehementiorem bilis motum. Tùm demùm verò cessat καῦσος, cùm febricitans, vel largiter sudavit; vel flavam bilem

lem vomuit: vel eandem per inteſtina dejecit. *Cap. 5.*

78. Quæri autem non immeritò poſſet, cùm anteà dictum ſit, rigorem, & à calidâ, & à frigidâ causâ proficiſci, cur idem πάθημα à contrarijs cauſis excitetur? Reſpondet *Galenus*, ſciri hoc poſſe, ſi meminerimus, quid facultas expultrix præſtare ſoleat? Nam non ſolùm ea excrementa expellit, quæ in amplis organorum ſpatijs, v. g. ventriculo, utero, utraque veſica, inteſtinis, bronchijs pulmonum, & naribus continentur: verùm etiam illa, quæ in membrorum ſubſtantia naſcuntur: ídque modis diverſis. Prioris enim ordinis excrementa expellit αἰσθητῶς, per vomitum, alvi dejectionem, menſes, urinam, tuſſes, ſternutamenta: poſterioris verò ἀδήλως, per διαπνοὴν, cùm ſcil. animal naturæ legibus gubernatur. Quodſi quippiam, quod mordet, in animali conſiſtat, & violenter moveatur, tùm ſanè ab eo excremento facultas expultrix infeſtatur: ac propterea id ipſum, ſive calidum ſit, ſive frigidum, quocunque maximè licet modo, è membrorum corpore expellere feſtinat: particulis ſcil. ſeſe contrahentibus ac conſtringentibus: deinde excrementum, quod in ſe continent, extrudentibus. Et ſi omnes ſimul hoc motu contractionis moveantur, totum corpus concuſſione & quaſſatione corripitur: quæ cõcuſſio totius corporis rigor appellatur. Neceſſe enim eſt, muſculis omnibus concuſſis, unà etiam articulos concuti: articulis autem concuſſis, ἐκτάσεις τε τινὰς καὶ κάμψεις ἀκουσίους συμπίπτειν, extenſiones quaſdam & inflexiones involuntarias incidere. *Cap. 5.*

79. Eſt tamen motus rigoris à convulſione, palpitatione, & tuſſi, quæ à nuda intemperie organorum reſpiratoriorum provenit, diverſus.

80. *Convenit quidem rigor* cùm σπασμῷ, ſive convulſione in eo, quia in utroque affectu muſculi incurvantur & flectuntur. *Differt* autem *ab eo*: quoniam rigor fit à facultate expultrice: σπασμὸς à morbo. *Cap. 5.* 81. *Dif-*

81. *Differt à palpitatione:* quia in hac fimilis motus non eft. Nam unà cum mufculo, qui à flatuofo fpiritu dilatatur, membrum attollitur: in rigore autem omnis mufculi pars movetur, feipfam expurgans. Intereà verò, cum partes mufculi movētur, totus mufculus concuffus unà etiam fecum articulum, cui inferitur, concutit. Ex quibus colligitur, rigorem à palpitatione tripliciter differre. I. quia rigor fit à facultate expultrice: palpitatio á morbo. II. quia in rigore quævis pars á fe ipsa movetur, cùm excrementum in fe contentum expurgat. In palpitatione autem pars non á fe ipsa, fed á flatulento attollitur fpiritu. III. quia in rigore pars mota articulos fecum cōcutit, & una movet: in palpitatione fola pars dilatata movetur. *Cap.* 5.

82. Motus, qui fit per inæquales nudas intemperies in mufculis thoracis, etfi rigori fimilis fit: differt tamen non folùm á motu, qui fit in tuffibus alijs, ab intemperie cum affluxu humoris natis: fed etiam à rigore & horrore. *Cap.* 5.

83. Quod fimilis fit rigori, hinc conftat: quia mufculi thoracis concutiuntur perinde, ac in rigore, conantúrque ea, quæ in carnibus ipforum molefta funt, per arteriam afperam expellere. Ideóq; levis & exigua tufficula, imò potiùs irritamentum ad tuffiendum confequitur. In cæteris autem tuffibus, á confluxu alicujus humoris ortis, mufculi thoracis vehementius irruunt in pulmonem, confertámque exufflationem excitant. In fternutatione adhuc vehementius eundem invadunt, cum fpiritū, qui eft in naribus, confertim expurgare conantur. In fternutatione enim uno impulfu tum á pulmone, tum á capite fpiritus emittitur. Quod nonnulli, quibus facultas valdè erat debilis, perfpicientes, ut ea, quæ in thorace & pulmone continerentur, commodius eijcerent, nares laceffendo, fternutamentum cierunt: quò violentia hujus motûs, quod per tuffim excernere non poterant, expuerent. *Cap.* 5.

84. Pot-

84. Porrò,utcunque tussis, ex nudâ intemperie organorum respirationi inserviētium nata, eiusdem cum horrore & rigore sit generis: differt tamen ab ijs, quoniam citiùs, propter assiduum horum organorum motum, sentitur. Organa enim respirationis nunquam quiescunt: sed perpetuò moventur. Quocircà si per causam aliquam, vel minimã, suâ in actione impediantur, statim quod molestat explodere satagunt, tussímque movent. At dictum suprà, motum hujusmodi διαθέσεις per totum corpus prodere ac manifestare. *Cap.5.*

85. Utrum verò, quæ in tussi & rigore naturam, sive vim ἐκκριτικὴν infestant, humida sint, an aërea & flatulenta? dignoscendum. Humida autem esse cognoscitur, si vacuatio eorum sensibilis sit: & quædã per vomitum, quædam per alvum, quædam per sudorem excernantur. Πνευματώδη verò, aërea, & flatuosa, si vacuatio sit ἄδηλος: ægríque nihil, quod sensus notare possit, vel vomant, vel per inferna deijciant, vel sudent; sive illa calida sint, sive frigida. *Cap.5.*

86. Quòd autem justo calidiora horrorem rigorémque excitare possint, calidissima balnea demonstrant. Si enim ἐξαίφνης καὶ ἀθρόως, derepentè ac confertim, sine præcedente aliquâ sensimque factâ calefactione, ejusmodi balnea quis ingressus fuerit, statim horrore corripitur. Quòd verò frigida rigorem inducant, translatio in frigidum aërem confertim facta ostendit. Nam & hæc ipsa horrorem parit. Id quod etiam accidere solet, ubi in frigido aëre diutiùs commorari cogimur, quemadmodum hyberno tempore peregrinantibus usuvenire solet. *Cap.5.*

87. Hæc excrementorum humidorum & aëreorum dignotio notanda est propterea, quoniam plurimùm ad curationem confert. Nam rigor ab externâ causâ frigidâ excitatus, non vomitu, sudore, alvi dejectione, aut aliâ hujusmodi sensibili vacuatione curatur; sed calefactione. Or-

tus autem à causâ calidâ, refrigeratione tollitur. Quodsi non aërea, sed humida sit causa rigorem excitans, & quidem calida, febris sequetur. Ideóque sanabitur vacuatione aliquâ sensili, per vomitum, sudorem, aut dejectionem alvi. Sin causa interna frigida sit & aërea, calefactione, uti dictum, profligabitur. Humidæ autem interdum πέψις: aliquando κένωσις: nonnunquam & πέψις, & κένωσις competunt. *Cap* 5.

88. De rigore veterum erat placitum, quòd illi semper febris succedat. Sed verũ simpliciter non est: etiamsi quis διορισμὸν adhibeat: dicátque, eos rigores, qui χωρὶς τῆς ἔξωθεν προφάσεως ἐκ τοῦ σώματος ὁρμῶνται, citra causam externam è corpore nostro excitãtur, febrem necessariò sequi. *Cap.* 5.

89. Visi enim sunt, & à *Galeno*, & à veteribus Medicis rigores, quos nulla sequuta febris: quanquam illi non adeò fuerint vehementes, ut ij, qui exquisitas tertianas, aut quartanas præcedunt: aut qui ardentes & præcalidas febres judicant. *Cap.* 5.

90. Solent autem ejusmodi rigores pravam diætam sequi: cùm scil. homines & otio indulgent: & cibo se infarciunt: & à cibo statim balnea ingrediuntur. Itaque nil mirum, veteres ejusmodi rigorem, quem nulla febris excipit, nunquam vidisse. Non enim eorum ætate perinde, ac *Galeni* seculo, homines in victu peccabant: neq; tam crebrò lavabant. *Cap.* 5.

91. Sunt verò rigores, quos nulla febris sequitur, non, ut in tertianâ exquisitâ, validi & concussorij (κλονώδεις) sed φρικώδεις μᾶλλον, horridi magis. Nam cùm prava excrementa in corpore sunt congesta, principiò ἀνωμαλίαν sentimus. Quodsi aërea extiterint, δακνώδης ἐστιν ἡ αἴσθησις, mordicationis sensus accedit: h. e. κόπος ἑλκώδης, qui sensum præstat ulceris. Post κόπον istum horrorem percipimus exiguum: dein paulò majorem: tùm adeò magnum, ut jam rigo-

rigoris aliquid participet. Tandem solum rigorem sentimus, qui partes corporis concutit. At talis rigor, vehemens scil. & concussorius, nunquam à frigidis procreatur humoribus. Hi enim ob crassitiem vehementer moveri nequeunt; sed in partibus, in quibus sunt collecti, hærent. Quodsi aliquando extenuentur, rigorem quidem excitant, non tamen vehementem. Neque enim pituita eam nancisci potest tenuitatem & subtilitatem substantiæ, quam attenuata bilis flava. Hæc igitur velociter per corporis partes sensiles ferri potest, & validum excitare rigorem: pituita nequaquam. *Cap.5.*

92. Veteres ergò rigorem, à crudis humoribus ortũ, minimè habuerunt cognitum. Cognovisse autem eum, qui accidere consuevit in morbis lethalibus, ex *Hippocratis aphor.46.f.4.* clarum est. In illo enim natura quidem insurgit, ut quæ inimica sunt, profliget: sed victa concidit: ideóque rigor *Hippocratis* judicio signum est perniciosum. *Cap.5.*

93. In quartanis autem febribus rigor mixtus est, ex calido nimirùm putredinali, & frigido. Melancholia enim, ex quâ quartana gignitur, humor naturâ frigidus est. At putrefacta, calorem nanciscitur; & quidem tantum caloris, quantum putredinis. Rigor autem à calidis quoque causis ortum ducit: ut suprà dictum. *Cap. 5.*

94 Sed quæ causa est, inquies, quòd in rigore, sive à calidâ, sive à frigidâ causâ prodierit, extremæ corporis partes refrigerentur, & sanguine destituantur, & cum ijs tota quoque cutis, partésque illi substratæ? Respondet *Galenus*, ea ut inveniatur, operæ pretium esse, ut sciatur, esse quendam primum maximéque principem motum, *τὴν ἔσω τε καὶ ἔξω φορὰν τῆς ἐμφύτου θερμασίας*, caloris nativi tùm ad interiora, tùm ad exteriora delationem; húncq; motum in quibusdam animi perturbationibus evidentissimè observari. In his enim unà cum ipso calore, & spiritus, & sanguis, modò

 intrò,

intrò, & ad ipsum principium, Cor, feruntur, contrahuntúrque: modò ad exteriora tendunt ac funduntur. *Cap. 5.*

95. In *timore*.n.intrò, & calor & spiritus, & sanguis abducitur, contrahitúrq;: unde partes extremæ refrigerantur. In *irâ* autē calor intenditur: quò fit, ut exteriora quasi ardeāt. In *ἀγωνίᾳ, trepidatione ante certamen*, motus sunt vari, quoniam *ἀγωνία* compositus est affectus ex irâ & timore. Jam enim motus in illa iræ est: jam timoris. Iræ est: ubi quis confidit, hostem se vincere posse. Timoris: cùm metuit, ne ab hoste vincatur. Et hos caloris nativi motus, qui in irâ & timore observantur, pulsus etiam cordis & arteriarum evidenter ostendunt. Timentibus enim pulsus sunt minimi, ac maximè debiles. Iratis contrà maximi ac validissimi. Ijs verò, qui versantur in *ἀγωνίᾳ* & ante certamen trepidant, inæquales. In *verecundiâ* calor primùm ad interiora retrocedit: deinde ad exteriora redit. Quodsi non redierit, timor est, non verecundia. Fit enim verecundia derepentè: causámque habet mollitiem animi, & timorem nativum; cùm scil. quis præstantioris congressum veretur, nec ejus consuetudinem ferre potest, adeóque ab illius cōspectu se subducit. Unde fit, ut in eâ calor ad interiora velut i subterfugiens, recedat; non tamen, quemadmodum in timore accidit, illic permaneat: sed *λογισμῷ*, ratione, *τὸ παθητικὸν τῆς ψυχῆς*, patibilem animi partem excitante, redit, & foràs fertur: simili modo motionis, quo in frigidâ lavatione calor revocatur. At in timore calor ad exteriora non redit, sed magis magísq; extinguitur, adeò ut quidam etiam in rigorem incidant. *Cap. 5.*

96. Cæterùm, quod in timore homines patiuntur *ἀθρόως*, id in tristitia sustinent *κατὰ βραχὺ*, paulatim. Differunt enim hæc *ψυχικὰ πάθη*, non *ὅλῳ τῷ γένει*: sed tantùm *μεγέθει καὶ σφοδρότητι*. *Cap. 5.*

97. Hic caloris & sanguinis motus ad interiora & exte-

riora

riora, facit, ut in quibusdam animi pathematibus homines moriantur: in alijs verò serventur. Nam nonnulli, quibus *ψυχάριον φύσει ἀσθενὲς*, animula naturâ debilis erat, ob *timorem magnum*, ac subitaneum mortui sunt. Causa duplex est: vel quia calor nativus extinctus: vel quia suffocatus: idq; ob universi sanguinis ad cor repentinam regurgitationem. *Ex iratis* verò nemo obijsse legitur: eò quod in irâ, neq; calor extinguatur: neque vitale robur dissolvatur. *Præ nimio gaudio μικρόψυχοι* quidam, pusillanimes, interierunt, non aliter, quàm in timore. In hoc.n. animi pathemate calor cum robore ac fervore, non perinde atque in irâ, foràs fertur: sed contrà, si quid antea roboris habuit, id nunc exolvitur & laxatur. Itaque laxatus dùm ad exteriora fertur, prorsùs dissipatur. *Cap.5.*

98. *Dolor* (*πόνος*) gaudio contrarius est: & propterea symptomata parit gaudio contraria. Ut enim gaudium calorem nativum ad exteriora moveri cogit: sic dolor eundem ad interiora pellit. Itaque symptomata infert maximo timori similia. Dolore siquidem laborantes, & decolores fiunt, & refrigerantur, & rigore corripiuntur, & tremunt, & pulsus edunt minores, & omninò etiam pulsu privantur, tandémque moriuntur, haud aliter ac ij, qui percelluntur ac consternantur. Causa est: quoniam in his quoq; calor ad cor refugit, simúlque resolvitur atq; extinguitur. *Cap.5.*

99. Cùm verò dolor mortem adferre possit, non mirum, si etiam *λειποψυχίαν*, *καὶ τὰ λειποψυχίας ἀκόλουθα συμπτώματα*, tùm alia, tùm vel in primis etiam *ἀκούσιον ἔκκρισιν τῶν περιττωμάτων*, invitam excrementorum excretionem invehat. *Cap.5.*

100. Verùm, non est præsentis instituti, in hisce diutiùs immorari. Ideóque ad rem redeundum: sciendúmque, omnia, quæ hactenùs de animi perturbationibus dicta sunt, non aliam ob causam dicta esse, quàm ut clariùs cau-

ſa eluceret, cur per rigores extrema corporis refrigerentur? nimirùm quòd nativus calor ſentiens ea, quæ corpori moleſta ſunt, unà cum ſanguine & ſpiritu ad interiora, perinde ut in timore, refugiat.

101. Quòd autem in rigore externæ tantùm partes frigeant, internæ verò caleant, inde conſtat, quia frigus in illis tactu percipitur: ſitis autem rigoris tempore quoſdam vehementer cruciat: quæ certè caloris internarum eſt indicium. *Cap.5.*

102. Quòd verò refrigerationes non præter rationem, ſed ἐυλόγως, ijs, qui rigore laborant, eveniant, hinc colligere licet. Nam ſi atrociores dolores, qui in unâ aliquâ corporis parte, v.g. colo inteſtino, conſiſtunt, & λειποψυχίας, & καταψύξεις inducunt: cur non illi, qui univerſum occupāt corpus, quales ſunt, qui in rigore accidunt (neque enim rigor, qui totius corporis eſt concuſſio, ſine dolore fieri poteſt) ſi non λειποψυχίας καὶ θάνατον, ſaltem καταψυξιν, refrigerationem extremarum partium efficerent? Eſt namque dolor, qui in rigore fit, reliquis omnibus doloribus ὁμογενὴς: cùm ſit moleſtus ſenſus: differt autem ab ijs, qui interimunt, μεγέθει καὶ χρόνῳ: quia & minor eſt, & breviùs durat. Colicus namque dolor ſæpè duobus diebus continuis hominem cruciavit. Rigor verò, quantò eſt vehementior, tantò ſolet eſſe brevior. *Cap.5.*

103. Si quæras, qualis is ſit motus caloris, qui in rigore deprehenditur? Reſpondet *Galenus*, ſimilem eſſe illi, qui in verecundiâ & ψυχολουσία, frigidâ lavatione fieri conſuevit. Movetur enim initiò ad interiora, ac pugnat certátque contra ea, quæ ſunt moleſta, donec unà cum expultrice facultate extirpaverit omnia. Verùm propter vehementes ἐμπτώσεις, incurſiones, & quia in profundo corporis eſt coacervatus, ad exteriora redit ἀθρόως, febrémque à rigore accendit, præſertim cùm ad ejus accenſionem auxiliarem habeat

beat materiam calidam, acrem, atque mordacem. Quod si facultas inter certandum priùs fatigetur, quàm noxia fugaverit, mors obrepere solet. Fatigatur autem, priusquam hæc profligaverit, vel δι' ἀρρωστίαν, cùm est debilis ac infirma: vel διὰ μέγεθος αἰτίας, propter causæ magnitudinem. In priori enim casu à noxiâ materia vincitur: in posteriori verò, causa superari à facultate nequit. *Cap. 5.*

104. *Ut, quæ fusiùs hactenùs de motibus vitiosis, qui cap. 1. fuerunt enumerati, faciliùs memoriæ mandentur, & intelligantur meliùs, Galenus* brevem illorum ἐπίλογον, sive ἀνακεφαλαίωσιν instituit: & primùm quales motus sint *tussis*, *sternutatio*, *singultus*, *rigor*, *pandiculatio*, *oscitatio*, ἀνωμαλία & *pruritus*? ostendit: deinde quæ illorum causa sit, & quomodo inter se differant? exponit. *Partis primæ membrum tertium.*

105. Sunt autem affectus enumerati omnes expultricis facultatis motus. Per eos enim expellere conatur ea, quæ corpori molesta sunt & noxia. Differunt verò inter se magnitudine & vehementiâ. Nam *tussis*, *sternutatio*, *singultus* & *rigor* motus τῆς ἐκκριτικῆς δυνάμεως sunt ἰσχυροὶ καὶ βίαιοι, validi ac violenti. *Pandiculatio* & *oscitatio* μέτριοι, mediocres. *Horror* μετριώτερος. Multò adhuc moderatior motus est ἡ ἀνωμαλία: utpote quæ propemodùm motus dici minimè mereatur, sed potiùs molestus sensus. Ἀνωμαλία similis est sensus, qui in *lassitudine ulcerosâ*, & præcipuè in *pruritu* esse solet. Nam in hoc symptomate sensus duntaxat est περιττωμάτων κνησμωδῶν, excrementorum, quæ pruritum excitant. Neque enim hæc aliter nominare licet, nisi quis illa νιτρώδη, nitrosa, καὶ ἀλμυρὰ, salsa, ἢ πικρὰ, amara, appellare voluerit. Talis enim illorum natura est. *Cap. 6.*

106. Discitur verò hæc eorum natura dupliciter. I. ἀπὸ τῶν ἔξωθεν, ex rebus externis. II. ἀπ' αὐτῶν τῶν κατὰ τὸ σῶμα, ex ijs, quæ sunt in nostro corpore. *Cap. 6.*

107. *Ex rebus externis*, urticâ scil. scillâ, muriâ, & aquâ mari-

marinâ. Nam hæc, & alia, vel amaram in se qualitatem habent, velut urtica & scilla: vel salsam, ut muria, (ἅλμη) & aqua marina. Itaque, qualem sensum hæc ipsa corpori admota exhibent: talem etiam, quæ pruritum excitant excrementa, sensum movere solent.

108. *Ex rebus quæ in corpore sunt*, humoribus nempè acribus & mordacibus. Etenim pruritus eos vexare solet, qui sordibus scatent, & balnea negligunt: qui cruditatibus laborant; qui pravo utuntur victu: non aliam ob causam, nisi quòd excrementa hæc in corpore nata salsa sint, acria atq; mordacia. Præ omnibus autem alijs pruritus infestat ψώρα & λέπρα laborantes. Causa triplex est. I. quia humor pruritum excitans est copiosior, quàm in illis, qui sordibus abundant, & balnei usum intermiserunt. II. quia idem crassior est, adeóq; cuti infixus firmitérq; impactus. III. quia nonnunquàm etiam lentus & glutinosus est. Unde fit, ut nihil juventur, etiamsi scabendo se excorient. Salsus quippe humor adhùc cuti infixus manet; ideóque pruritum movere minimè cessat. *Cap.6.*

109. Causa horum vitiosorum motuum est, uti suprà uberiùs expositum, κακοχυμία. Differunt autem inter se quadrifariam. I. ποσότητι τῆς αἰτίας, causæ quantitate. II. ποιότητι, ejusdem qualitate. III. ἡσυχίᾳ, quiete. IV κινήσει, motu. *Cap.6.*

110. Causa enim *in pruritu* est pauca, tenuis, salsa & immota. In *lassitudine ulcerosâ* pauca, tenuis, mordax & immota. In *leprâ & scabie* multa, crassa, salsa & immota. In *horrore* pauca, tenuis, mordax & motum quendam obtinens exiguum. *In rigore* copiosior est, mordacior, vehementérque movetur. Et *in rigore* quidem *maximo* plurima, mordacissima, καὶ σφοδρότατα κινουμένη, vehementissimè mota. *In minimo* verò, mediocriter vel in qualitate, vel in mordacitate, vel in motu aucta. Sunt verò inter maximum & mini-

minimum rigorem variæ differentiæ, τῷ μᾶλλον τε ϰ ἧττον ἀλλήλων διαφέρεσθαι, ratione majoris ac minoris variantes: nempè pro ut causa, vel in quantitate, vel in qualitate, vel in motu variat. *Cap.6.*

111. Atque hæc sunt symptomata, quorum causa tùm in cute, tùm in carne illi subjectâ consistit. Inter ea verò, quorum causa in profundioribus corporis partibus consistit, numerantur *tussis*, *sternutatio* & *singultus*. *Cap.6.*

112. *Tussis* enim causa in pulmone, faucibus & thorace latet. *Sternutationis* in naribus. *Singultûs* in ventriculo & stomacho. *Cap.6.*

113. Differunt igitur, quòd causæ eorum in diversis corporis partibus hæreant. Conveniunt autem in eo: quòd expultrix facultas in omnibus hisce tribus symptomatibus seipsam ad vehementissimos motus excitet: ídq; nullam aliam ob causam, quàm ut ea, quæ infestant, explodat: quẽadmodum suprà dictum. Ubi etiam multa de illorum generatione tradita: & quòd *sternutatio* ex accidenti humorũ, qui in pulmone delitescunt, licet horum gratiâ minimè instituatur, remedium fit. Per se enim ea, quæ in naribus sunt, expellit. Per accidens autem, quæ in thorace ac pulmone consistunt, extrudit: ídque per nervos, veluti per longas quasdam manus, ad thoracis musculos descendentes. Per hos enim thoracem non tantùm dilatat: verùm etiam contrahit: illícq; contenta excrementa excutit. Pari modo, etsi *singultus* per se ejiciat ea, quæ ventriculum infestant: tamen hæc ipsa sternutamenta per accidens exturbant, adeóque singultûs sunt remedia. Musculi quippe abdominis per sternutamenta intenti ac contracti ventriculum simul impellunt, ut violentior in causas molestas, & singultum creantes, quas expellere nititur, fiat incursio. *Cap.6.*

114. *Supersunt causæ symptomatum enarrandæ, quæ principibus accidunt functionibus*, nimirum Imaginationi, Ratiocinationi, & Memoriæ. *Pars libri secunda.*

115. Sunt verò in illis, ut in omnibus alijs actionibus,

 tria

tria prima symptomatum genera. I. ἀπώλεια τῆς ἐνεργείας, *actionis abolitio.* II. βλάβη, *noxa*, sive *læsio* & *diminutio actionis*. III. εἰς ἑτέραν ἰδέαν ἐκτροπή, *in alteram speciem degeneratio*, sive *depravata actio. Cap. 7.*

116. *Abolitio* fit in stultitiâ & oblivione. Hæc verò symptomata non rarò à morbis accersuntur, si finiantur in abscessum, h.e. in ejusmodi affectum degenerent, in quo humores, qui priùs aliquam partem infestabant, eâ relictâ, in aliam abscedunt ac transferuntur. Vidit quippe *Galenus* quosdam, qui, humoribus ab alijs corporis partibus ad cerebrum translatis, in tantam inciderant oblivionem, ut & literarum, quas didicissent, & artium, quarum habuissent peritiam, & nominum, quibus essent insigniti, fuerint obliti. Et hoc ipsum quoq; *Thucydides* notat *l. 2. belli Pelopon.* Scribit enim, quosdam, qui à pestilentiâ servati fuerunt, neque se ipsos, neque amicos suos agnovisse. Visi insuper aliqui, qui διὰ γῆρας ἔσχατον, propter extremam senectutem stulti & obliviosi facti. Ex quo colligitur, ϰ μώρωσιν, ϰ λήθην, & stultitiam, & oblivionem à frigore provenire. *Cap. 7.*

117. Quòd autem vitia hæc à frigidâ cerebri intemperie proficiscantur, primùm medicamenta refrigerantia probant. Assumpta enim & admota μώρωσιν ϰ λήθην inducunt. Deinde horum symptomatum γένεσις ϰ λύσις planum facit. Sensim enim fiunt & solvuntur: quod nequaquam contingeret, si ab humore aliquo procrearentur. Tùm enim subitò, & generarentur, & finirentur, ut apoplexia & epilepsia, quos affectus *Galenus* dicit à pituitosis oriri humoribus, in cerebri ventriculis coacervatis. *Cap. 7.*

118. *Alterum principum actionum* σύμπτωμα est *diminutio*, quam *Galenus* suprà nominavit βλάβην; hic autem μετρίαν βλάβην ϰ οἷον νάρκην τοῦ λογισμοῦ τε ϰ τῆς μνήμης, noxā mediocrem, ac veluti torporem rationis ac memoriæ appellat. Causa eadē est, quæ stultitiæ & oblivionis, sed levior ac remissior: nimirùm simplex & nuda cerebri refrigeratio: aut medicamentum refrigerans, ore sumptum, capitivé foris admo-

admotũ; aut humor frigidus in cerebro congestus. *Cap. 7.*

119. *Tertium earundem actionum* σύμπ]ωμα est *depravatio:* ad quam pertinent φρενίτιδες, μανίαι, μελαγχολικαὶ παράνοιαι, ϗ παραφροσύναι ἐν τοῖς πυρετοῖς. *Cap.7.*

120. Hæc symptomata omnia, vel à vitiosis humoribus, vel à cerebri intemperie excitantur. Appellatur autem φρενῖτις delirium, quod cum febre accidit. Μανία delirium, quod sine febre fit. Utrumq; delirium à causis modò indicatis ortum trahit. Μανία quidem interdum à calidis mordacibúsque humoribus: qualis maximè bilis est flava: sæpè etiam à calidiore cerebri intemperie. Φρενῖτις non simpliciter, ut μανία, à calidis humoribus originem ducit; sed etiam φλεγμονὴν cerebri & meningum ejus sequitur. Μελαγχολικαὶ παράνοιαι frigidiorem humorem, melancholicũ scil. pro causâ agnoscunt. Αἱ παραφροσύναι ἐν τοῖς ἄλλοις πυρετοῖς nascuntur, calidò humore in cerebro redundante. *Quæ in vigore acutissimarum febrium consistunt*, pro causâ habent ἀτμὸν δακνώδη ϗ θερμὸν ἀναθυμιάμενον ἐπὶ τὸν ἐγκέφαλον, vaporem calidu[illegible] mordacem, ad cerebrum evaporantem. Παράνοιαι μελαγ[illegible] καὶ πολυειδεῖς εἰσὶ, varias habent species ac differentias, pro ut in ipsis apparuerint imaginationes. In omnibus autem communia sunt duo animi pathemata, quæ etiam ab *Hippocrate aphor. 23. sect. 6.* sunt notata; φόβος ϗ δυσθυμίη, *timor* & *mæstitia*. Omnes enim mœsti sunt ἀλόγως, sine causâ. Neque si roges, quamobrem tristentur? dicere possunt. Ac non pauci eorum mortem, aliáq; nonnulla, haudquaquam metuenda, metuunt. Reperiuntur verò, qui mori vehementer desiderant. *Cap.7.*

121. Horum deliriorum melancholicorum causa est μελαίνη χολή: ideóq; nihil mirum, melancholicos timidos esse. Novimus enim, nihil eorum, quæ extra corpus nostrum sunt, nos æquè terrere, ac tenebras. Quare, cùm aliquid tenebris simile, ut humor melancholicus, τῷ λογιστικῷ μορίῳ τῆς ψυχῆς, rationali animæ parti, circumfunditur, necesse est, hominem timere. Ratio est: quia semper timo-

ris cauſam in corpore circumfert. Nam quod nobis accidit extrinſecus, cùm aër ad tẽpus aliquod denſiſſimis tenebris eſt obſcuratus, id melãcholicis ab interno, & ex ipſo corpore excitatur: occupante cerebrum, vel μελαίνῃ χολῇ, vel ἀναθυμιάσει ἀτμοῦ μελαγχολικοῦ: ut fieri videmus eâ in melancholiæ ſpecie, quam φυσώδη, flatulentam, καὶ ὑποχονδριακὴν appellant.

Corollaria

Ex theſibus deprompta.

I. *AN ſingultus ſit ſpecies convulſionis? Propriè loquendo non.*

II. *Sitnè ſenectus humida, an ſicca? Poſterius placet.*

III. *Num vinum frigidos pariat morbos? Non per ſe: ſed per accidens.*

IV. *Pulſéntne arteriæ à ſeipſis, ob facultatẽ ſibi ingenitam, ut Cor? N.*

V. *Sitne idem motus arteriarum & cordis? Affirmatur.*

VI. *Vtrum pulmo à ſeipſo moveatur, an à thorace? Poſterius defendimus cum Galeno.*

VII. *Sitne reſpiratio motus naturalis? an animalis? an mixtus? Vltimum tuemur.*

VIII. *An horror & rigor ſpecie inter ſe differant? N.*

IX. *Nunquid rigor καυσῷ ſuperveniens cauſa ſit ſanans: an ſignum duntaxat ſolutionis καύσου? Poſterius aſſerimus.*

X. *Sintné potiſſimæ & frequentiſſimæ σπασμοῦ cauſæ, vacuatio & inanitio? Sic placet Hippocrati. (Omninò.*

XI. *Num in motu tremulo, & tonico aliquid agat facultas animalis?*

XII. *Qualis ſit motus Tuſſis? Mixtus: quia partim ab expultrice facultate: partim verò à thoracis muſculis inſtituitur.*

XIII. *Sitné retentio fæcum & urinæ magis animalis, an naturalis? Prius arridet.*

XIV. *An urinæ & fæcum expulſio naturalis magis ſit, an animalis? Naturalis magis.*

XV. *An calor & ſpiritus prima ſint organa animæ? A.*

XVI. *Vtrum lepra Græcorum & Arabum ſpecie inter ſe diſcrepent? A.*

XVII. *An timiditas Melancholicorum à nigredine humoris melancholici proficiſcatur? Non videtur.*

XVIII. *An quis præ gaudio & timore mori poſſit? A.*

XIX. *An omnis quartana ex melancholici humoris putredine naſcatur? Negatur.*

FINIS.